



Kem 3489 (1-15)

546

DISSE^RTAT^O IN^AUGURALIS MEDICA 4

D E

HAEMORRHOE^A PETECHIALI

Q U A M

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

I N

ALMA FRIDERICIANA

P R O

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO

DIE XVII. OCTOB. C^IC^IC^LXXXIX.

P U B L I C E D E F E N D E T

A U C T O R

IO. CAROL. ERDM. BERGENER
HALENSIS.

H A L A E

T Y P I S G R U N E R T I A N I S.



LIBRARY OF THE
HANOVERIAN COLLEGE
OF PHYSICIANS

CONCERNING THE ANCIENT AND
MODERN METHODS OF MEDICINE

GRADU DE BOTER'S MEDICINE
BY DR. J. B. BOTER.

JO. CVELD. HERM. HERGENIER
PRINTED FOR THE AUTHOR.

PROOEMIUM.

*G*um in fine cursus mei academici ex more mihi materiam dissertationis eligere vellem, diu me, quam eligerem, dubitasse, confiteri non pudet. Videbam enim partim plurimas huius doctrinae partes optime excultas, ut novi quid dici vix posset, partim vero mihi vires defesse, cognitionesque meas nimis adhuc circumscriptas esse, quam ut eas medicinae partes adire ausus essem, in quibus forsitan medico experientia edocto multa excolenda restent. Quae via iuveni, omni fere propria experientia carenti, ingredienda erat, ut aliquem tamen usum dissertationis exspectare posset? — Fortasse haec sola, ut suas observationes qualesunque iis aliorum iunge-ret, haec immortalis Stoll verba fecutus: Aliorum observationes suis confirmare, hoc ipsum est me-ritum.

*F*requentavi per hos quindecim menses, for-tasse non sine fructu, scholam clinicam, in hac urbe nostra, optimo duce Reilio, Med. Prof. ord., praeceptore meo maxime colendo, florentem; vidi et tractavi hoc duce nonnullos morbos rariores,

atque inter eos haemorrhoeam petechialem, quam
dignam haberem, quae diligentius observaretur et
describeretur. Eam ob rem quum libris de hoc
morbo scriptis tum exquirendis tum legendis oc-
cupatus essem, inveniebam inter recentiores disser-
tationem eiusdem argumenti, quam nuperrime 1789
Adair, Scotus, Edinburgi in lucem protulerat.
Accepi eam a benigno meo praceptor, et in ea
tractationem inveni meliorem quam pro disser-
tatione inaugurali. Parum aberat, quin consilium
de hoc morbo scribendi mitterem, et iam in eo
eram, ut aliud argumentum eligerem, quum sub-
iret, dissertationem meam satis tamen utilem fore,
si ea, quantum in me est, praeclarus ille libellus
pluribus fieret notior.

et causa situs et causatio duci se dilatando.

perib. et ceteris. diffundit ut adhuc non possunt

perib. et ceteris. diffundit ut adhuc non possunt

perib. et ceteris. diffundit ut adhuc non possunt

HISTORIA LITERARIA.

Morbum, de quo in hoc libello disferere consti-
tui, primum, ut quidem opinor, *Lazarus Rive-*
rius descripsit; eumque tam accurate, ut nemo
non eum agnoscat. De petechiis in febre pestilenti
scribens, haec de eo narrat: „Apparent tamen ali-
„quando in aliis affectibus, citra febrem pestilen-
„tem, maculae quaedam, praedictis consimiles, sed
„a diversissima causa prodeentes, nempe a sangu-
„inis tenuitate nimia, qui a calore aut facultate ex-
„pultrice agitatus, extra capillares venas in cute ef-
„florescit. Illae potissimum solent contingere in iis,
„qui sanguinis fluxum patiuntur, ex eo quod ille
„factus fuerit tenuior et aquosior. Tum etiam in
„lienosis et ictericis, et diurnas viscerum obstru-
„ctiones patientibus, iisque omnibus, ut summatim
„dicam, qui propter viscerum debilitatem sangu-
„inem generant aquosum, et in cachexiam proclives
„sunt. In his enim sanguis tenuior factus, modo
„per nares, modo per aliam partem effluit, modo
„etiam a capillaribus exiens venis, in partes cuta-
„neas transmittitur, ubi retentus proprium amittit
„colorem, et vel lividus, vel niger, vel puniceus
„factus, varias macularum differentias profert;
„quae tamen a maculis febrium pestilentium diver-
„sissimae sunt, et nihil aliud quam sanguinis tenui-

A



„tatem aquosam et imbecillitatem iecoris p[re]se
„ferunt. „*)

Anno 1775 Eberhardus Gottlieb Graff dissertationem inauguralem: de Petechiis sine febre, Goettingae edidit. Plures eiusdem generis historias ex Actis Naturae Curiosorum affert, suumque opinio[n]i de causa proxima, quam ex Riverio commoravimus, adiecit.

Eodem anno hunc morbum describebat R. A. Behrens in dissertatione epistolica, *Werlhoffii* operibus medicis inserta, usus nomine morbi maculosi haemorrhagici **). Exemplum exhibit aegroti, qui, licet omnes curae in eum conferrentur, diem obiit. Werlhoff ipse ***) in Observatis medico-practicis, eundem morbum, cui idem nomen tribuit, commemorans, exemplum prodidit aegroti multa Cinchona servati.

Similem aegri historiam narravit I. G. Guibrand, in Actis Societatis medicae Hafniensis ****), quorum prima pars, edita anno 1792, duas aegrotum historias continet, memoria dignissimas, alteram I. Ph. Rogerto, qui morbum hunc nominat maculosum haemorrhagicum; alteram Urbano Brun Aaskow, auctoriibus, utrasque digniores, quam ut, epitome earum dissertationi meae subnectere, omittere potuissim.

*) *Riverii Praxis medica.*

**) R. A. Behrens epistolica dissertatio, de morbo maculo haemorrhagico et noxiis nonnullis mytilis. Brunsvigae 1735.

***) Opera medica *Werlhoffii* P. II.

****) Act. Hafn. Vol. II.

Celeb. etiam *Duncan*, de arte Paeonia et de genere humano optime meritus, huius morbi exemplum, sibi obvium, publici iuris fecit *). Plures deinceps aegros, hoc morbo laborantes, tum in privatis domiciliis tum in valetudinario publico, curaverat **).

Denique nominanda est, quae Edinburgi prodidit, anno 1789, dissertatio, in prooemio iam commemorata: de haemorrhoea petechiali, auctore *I. B. M. Adair*, quem maxime me secutum, meque adeo non dubitasse, quin eius aegrorum historias, ut nostris magis innotescant, huic dissertationi subiicerem, publice profiteri non pudet.

DE DEFINITIONE.

Quot de hoc morbo scriptores existunt, tot variis etiam nominibus vocatus est: *Riverius* ei peculiarem titulum non dedit; *Graff Petechiarum sine febre*; *D. Duncan* eum nomine *Petechianoseos*, vel *Aimorrhoeae* designavit; *Werlhoff* eum morbum *maculosum*; *Adair* nomine coniuncto *haemorrhœam petechiale*; *Rogert* morbum *maculosum haemorrhagicum* nominavit. Quorum nomenum quod *Adair* habet, maxime rei respondeare, itaque melius esse, mihi quidem videtur, nec dubito, eundem auctorem secutus, hunc morbum, ob similitudinem cum scorbuto, impetigenibus magis quam apocenosibus *Cullen* i esse adnumerandum.

A 2

*) Medical Cases and Observations.

**) The Public Dispensary.

Hanc definitionem rei congruere et sufficere arbitror:

Petechia et vibices, sive pyrexia, in variis corporis partibus apparentes, et inde subito recentes, sanguis e pluribus locis, vel sponte, vel a laevissima causa, fluens, vix coercendus.

DESCRIPTIO MORBI.

Quae symptomata vel ipse, vel alii observarint, collecta nunc, ordine commemorabo.

Interdum quidem subito, at plerumque tamen tardius hic morbus aegrum invadit, eique nascenti prodromi quidam antecedere solent, per tres vel quatuor dies aegro molesti, quorum sunt cephalalgia, torpor insolitus, moeror et infirmitas, saepius tunc petechiae, nonnunquam haemorrhagiae primo invadunt. Cl. *Duncan* nonnulla exempla narrat, ubi petechiis deficientibus, haemorrhagia sola morbum efficeret, contra autem multa adsunt exempla, ubi nulla haemorrhagia apparente, solis petechiis aegri fuerint correpti.

Interdum febricula morbum comitari videbatur, apud plurimos vero aegros vera febris indicia prorsus deerant. Notatu dignissimus est casus in quarta aegri historia narratus, quo morbo accedens febris haemorrhagiam inhiberet aegrotoque vitam per aliquot tempus adhuc servaret.

Color petechiarum (vel rectius pestichiarum ex sententia *Burserii*) perdiversus est et mutabilis; mox enim sunt rubicundae, mox lividae, mox nigrae. Prodeunt in omnibus corporis partibus,

plerumque in pectore, rarius autem in manibus et facie. Cl. Rogert exemplum narrat, ubi adeo in coniunctivis oculorum conspicerentur. Plerumque sunt planae, nec supra cutim se attollentes, ideoque tactu sentiri non possunt, apud quosdam modo paullulum supra cutim prominebant, ut fide digni homines narrarunt, e. c. Graff, cui videbantur ut vesiculae, quibus ruptis niger sanguis effluebat, qui mox coagulabat.

Inter has interdum aliae maculae visae sunt, magnitudine et colore differentes, unde etiam diversa nomina traxere. Aliae enim, latiores, quae vel caeruleae vel nigrae apparent, vibices dictae sunt; aliae, latissimae, ecchyomata referunt. Inter morbum hae maculae saepius locum mutant. Aliae evanescunt, aliae iterum eodem vel alio loco erumpunt.

Multo maiore autem, quam apud maculas, apud haemorrhagias opus est attentione. Eae enim sunt maximi momenti. Ab iis pendet periculum aegroti, nam saepe, ut aegrorum historiae docent, gravissimae adeoque mortiferae sunt. Vix ullus est corporis locus, ex quo sanguis non in aliquo exemplo profluxerit. Saepe ab ore, gingivis, nafo, ventriculo, pulmonibus, ano, utero, urethra effusus est. Semel ab ulcuseulis tiniae stillavit. Quodvis minimum vulnus, quavis corporis parte inflictum, similem fluxum, coercitu difficillimum, ciet.

Sanguis effluens, scriptoribus testibus, fuit per diversus, interdum naturali similis fuit, interdum tenuis et in dissolutione aliquantulum iam profectus,

interdum niger et mox coagulans. Optanda quidem fuisset maior in eum attentio, ut consistentia et mistio eius diligentius constitui potuisset, quod vero pro rerum conditione, qua sanguis effluebat, saepe fieri vix poterat, muco, urina, faecibus aliisque rebus sanguini se immiscentibus.

Pulsus arteriarum ab naturali saepe parum modo discedit, plerumque tamen frequens et debilis est. Respiratio non afficitur, at conspicuntur interdum symptomata quaedam catarrhalia. Calor saepe austus est, saepius naturalis, sitis interdum urget, plerumque vero deest. Adpetitus cibi varius est, mox prorsus deest, mox est naturalis. In omnibus apparet permagna muscularum debilitas, nihil tamen turbantur cerebri actiones, praeter quod ad finem. Morte enim proxima accedunt saepe deliria et coma. Vultus pallet, quod minime mirum esse potest; ob magnam incorrupti sanguinis copiam amissam, profert tamen *Adair* exemplum, ubi, licet iterata haemorrhagia, rubor remaneret.

Alvus et urina naturaliter se habent, nisi quum sanguine inquinantur. Nonnumquam sanguis solo muco mixtus alvo fecedit.

Apud perpaucos modo morbo durante, odor putridus sentiebatur, nec cadavera eorum, qui hoc morbo confecti periere, ante tempus putredinis indicia habuere.

Duratio morbi in variis exemplis varia est. Semel post septem dies sponte rediit valetudo. Plerumque per plures septimanas, immo etiam meniles, annosve perficit.

Nonnumquam haemorrhoea recidiva esse visa est; nam uno in exemplo, redeunte aestate, morbus semper per sex annos rediit.

Quaeritur adhuc, utrum hic morbus sit haereditarius; deinde utrum contagiosus sit, nec ne?

Primum quidem non prorsus negarem. Quod enim quamvis simpliciter affirmari non possit, tamen eodem iure, ut in aliis morbis, e. c. in phtisi et epistaxi in structura vasorum, a solita discedente, causam congenitam atque haereditariam inveniri posse, arbitror, adeoque Cl. *Duncan* exemplo, tres eorumdem parentum liberos, alterum post alterum, eadem haemorrhagia mortuos esse docuit.

Eum vero esse contagiosum, prorsus nego; nam experimenta immortalis *Stoll* fatis nos de hac redocuerunt, cuius verba sunt: „Petechias pessimas „curavi per infisionem diversimode institutam, in „alios propagare, sed nullum observare contagium „licuit..“ *)

PROGNOSIS.

Cum ab haemorrhagia periculum aegri pendeat, in prognosi praecipue ad eam respiciendum est. Quo maior enim est vis sanguinis amissi, quo magis ea re aegroti vires decrescunt, eo tristior est finis. Quae si enim mortem quidem ipsam non adferat, cachexias tamen relinquere potest pessimas. Si vero cessaret et modica esset, si aegri vires nondum nimis decreverint, si petechiae nigrum colo-

*) *Stoll* Ratio medendi P. VII. p. 362.

rem cum rubicundo mutarent et denique evanescent, tunc prosper eventus praedici potest.

C A U S A E.

Qui artem medicam quodammodo novit, eum non fugit, causarum, unde morbi nati, difficillimam at gravissimam quoque esse investigationem; quae si enim satis nobis innotuerint, facile multis morbis mederemur, et si non ad medelam, tamen ad prophylaxin morbi eas ducturas esse credo. Saepe autem tam obscure sitae sunt, ut eas et medicus sagacissimus assequi non possit, et saepe deceptus effectum pro causa habeat. Hoc tamen aequus iudex facile ignoscit. Cum vero nonnullos prae nimio nova dicendi studio, subtilitate male adhibita, novas theorias proferre videmus, vehementer, ut melius quid medicinae accidisset, optandum est; melius medicinae consuluissent, si tacuissent. Historia enim eius exempla narrat trifissima de malo quod theoriae procrearint. Causas morbi mihi describendi diligentissime investigatas nunc proponam, non ut axiomata, sed potissimum ut verofimillimas, quod eo confidentius, cum per se in morbo tractando nihil mutent, audere possum.

Proximam huiusce morbi causam, solummodo in vitio partium solidorum quaerendam, ortumque petechiarum et haemorrhagiarum ex infirmitate minimarum arteriarum, quae in hoc statu praeter naturali non satis validae sunt, naturali sanguinis impetui obsistere, explicandum esse arbitror.

ARGUMENTA HOC SUADENTIA.

I. Causae remotae vel praedisponentes.

Aegrorum historiae docent, eos, qui hac haemorrhagia afficerentur, plerumque quovis antea modo debilitatos fuisse, et iure secundum experientiam omnia ea ad remotas et praedisponentes causas numerari posse credo, quae irritabilitatem fibrarum muscularium tonumque vasorum sanguiferorum infirmiores reddant.

In serie igitur causarum ii morborum praegressorum, qui hanc contra naturam mutationem efficere poterant, primum locum obtinent. Iam *Lazarus Riverius* apud eos contendit saepissime petechias conspicī, qui obstructione hepatis aut splenis aut aliorum viscérum laborassent. Oriebantur post typhos e. c. apud *Susannam Pope* *), quae brevi antea typho laboraverat; erat laxa et tenui corporis conditio, ante morbi accessionem fatigatiō obnoxia fuerat, spicas a messoribus passim relictas colligendo. Pauper erat, in domo satis parva et male ventilata vivebat, hinc aëri insalubri patebat, et cibo concoctu difficiili. Apud alios excipiebat hic morbus vel febres remittentes vel intermittentes, vel nimiam epistaxis, vel nimium fluxum catameniorum, vel alios morbos debilitantes. In una historiarum, quas *Graff* narravit, haemorrhœa sudoris admoto frigore cohibiti effectus fuisse visa est; in altera, medicamento fodorifero incaute propinato, morbum tribuit medicus; in tertia partum difficilem secuta

*) Appendix Num. II.



esse videtur. Porro experientia docet, eos praecipue pauperum haemorrhoea fuisse affectos, qui ob inopiam, parva, humida, humilia nec satis ventilata domicilia incolebant, in quibus mundiciem necessariam saepissime frustra quaereremus, quique cibis vescebantur vilibus, difficillime digerendis parumque alentibus. Iam *Duncan* apud unum aegrorum causam in eo quaerit, quod nimiam copiam fabarum nigrarum comedisset. In alio, quem idem medicus curavit, pica quaedam, seu terrearum substantiarum adpetentia, observata fuit. Dubium est, an hoc symptoma ullo modo cum sanguinis profluvio et petechiis connexum fuerit, an potius morbitam ventriculi aciditatem solummodo indicaverit. Utcunque hoc erit, certe opinioni de sanguinis putredine in hoc morbo existente non parum adversatur. Iam commemorata *Susanna Pope* etiam exemplum praebet, et puer, cuius historiam adieci, qui propter penuriam plerumque radicem solani tuberosi comedederat *).

Praeterea vitae ratio, praeципue sedentariae, aer insalubris et animi motus, inter has causas iure numerandi esse videntur. Iam paucae illae historiae, quas habemus, docere videntur, sequiorem sexum huic morbo magis obnoxium esse quam viros, partim ob teneriorem constitutionem, partim quia apud labores muliebres plurimum sedent. Me vero aerem inter has causas numerasse nemo mirabitur, qui quantum ad corpus nostrum faciat, non ignorat. Confirmare hoc videtur historia, quam *Cl. Rogert* in *Actis Hafniensibus* narravit: „Habitabat aegra in

* Appendix Hist. V.

„praedio in littore sinus limici fito, febribus inter-
mittentibus frequenter obnoxio.,,

De animi autem motibus (praecipue dico ti-
morem et tristitiam) huiusc morbi causis, quamvis
nullum mihi exemplum exstet, tamen excretiones
involuntariae quas causant, vim eorum fibras muscu-
lares debilitandi, satis probant, et quo modo scor-
butum, sanguinosumque sudorem generare possunt,
eodem eos, ceteris paribus, etiam ad hunc morbum
gignendum aliquid conferre posse, non negarem.

Omnis hucusque causae commemoratae, mul-
to mihi magis et prius in solidis corporis partibus
quam in fluidis efficaces esse videntur. Quodsi quis
vero obiicere vellet, multos hisce et similibus expo-
fitos causis, sanitate tamen frui inturbata, eos cogi-
tent moneo, praedispotionem vel inclinationem
aliquam, ut occasioales in corpus efficaces causae
morbum excitent, adesse oportere. Multorum enim
hominum quotidie vicissitudinibus caloris et frigoris
obnoxiorum sanitas nunquam quatitur, cum eadem
causae in aliis catarrhos, rheumatismos aliasque plu-
res inflammationes progenerent.

II. Analogia cum scorbuto.

Cui non statim huius morbi et scorbuti similitas
in oculos incidat? In hoc et in illo sunt vibices et
petechiae, scorbuticae quidem partim sunt maiores,
at etiam in altero accidit, ut essent permagna, et
latitudine maculis alterius pares. Scribit e. c. Cl.
Aaskow *) in Actis Hafnienibus: „Petechiae ex

*) Acta Regiae Societatis medicae Hafniensis. P. I. 1792.

„rubro brunae in pedibus lividae, latae ac scorbuti-
 „corum instar apparebant.,, *Adair* *) nullum est,
 inquit, in haemorrhoea symptoma, quod non in
 scorbuto saepius observatum sit. Multa quidem ap-
 parent in scorbuto, quae in haemorrhoea desunt.
 „An ideo statuendum sit, morbos ab invicem speci-
 „fice diversos esse? Immo solummodo colligendum
 „est, haemorrhoeam non nisi mitiorem scorbuti esse
 „gradum, a minori causarum remotarum violentia
 „oriundum.,,

In utrisque morbis saepe eadem causae re-
 motae inveniuntur; experientia enim docuit, car-
 nes salitas putrescentes, minime ad scorbutum pro-
 duendum necessarias esse, eumque ut haemorrhoeam
 ex aëre impuro et victu difficile concoquendo mini-
 meque alente oriri posse. Nitor experimentis *Kra-
 meri*, *Nitzchii*, *Lindii*, *Trotteri* et *Mil-
 manni*. In ipso immortali *Guilielmo Stark*, di-
 scendi cupiditatis et veritatis perscrutandae marty-
 re, mox praecipua scorbuti symptomata, asthenia
 nempe, maculae et stomachace apparebant, cum
 per aliquod tempus solummodo aqua et pane, vel
 saccharo et aqua aleretur. *Adair* et supra allegati
 auctores plura et praeclara eaque satis probantia
 exempla protulerunt.

Utrorumque etiam morborum ratio tractandi
 parum vel nulla in re diversa est. Documentum
 praebet aegri historia, quam Cl. *Rogert* in Actis
Hafniensibus narravit: „Ut ut erat, ait, ex analogia

*) Disert. de haemorrhoea petechiali auct. *Adair*. Edinb.
 1789.

„gia morbi proxima cum scorbuto ductus, mede-
 „la ad eius indicationes instituebatur. Cortice
 „spiritu vitrioli, infuso Rhaphani rusticani, lacteci-
 „niis, carne recenti cum vegetabilibus usa est, qui-
 „bus omnia meliora reddebantur. Postea decocto
 „malthi ex hordeo cum succo cochleariae hausto
 „optime est sanata. „

Hacce cuivis obvia similitudine ductus *Adair*
haemorrhoeam non ad fluxus *Sauvagesii* et *Sa-*
gari, nec ad apocenoses, sed ad impetigines *Cul-*
lenii numerabat, quod cum maximo iure fieri pu-
 tem, ea eum in re libenter fecutus sum. Quantum
 enim, si hoc negaretur, hi morbi distarent, cum per
 se tam affines, et in causis, symptomatibus et ratio-
 ne medendi tam similes sint!

Proximam vero causam scorbuti non in flui-
 dis, sed potissimum in solidis corporis partibus quaer-
 rendam esse, a pluribus auctoribus, ex quibus fo-
 lummodo *Lindium*, *Milmanum* et *van der*
Heuvell nominare sat est, ingeniose et diligenter
 demonstratum est; argumenta vero hoc loco expo-
 nere eo minus necesse est, quo magis, ne dissertatio-
 nis terminos transgrediar, longiusque a meta pro-
 posita abducatur, timendum est.

III. *Origo petechiarum in febribus inflammatoriis.*

Cuivis unquam in mentem venturum esse, in
 febribus mere inflammatoriis putridam sanguinis
 dissolutionem quaerere, credere vix possum, cum
 omnia symptomata et praecipue corium pleuriticum,
 quod in sanguine e vena missa cernitur, contrarium

satis probent. At saepe tamen petechias hac in febre oriri videmus. Stoll ortum eorum recte explicavit, dicens: „In morbo vero inflammatorio vis „sanguinis ultima vascula perrumpit, et fugillatio „nem format sive maculas petechiales.“ Oriuntur itaque ex superpondio virium partium fluidarum ac motarum in vires moventes. In febre inflammatoria partium quidem solidarum tonus, non solum non debilitatus sed etiam auctus est, quantum autem hic, tantum etiam motus fluidarum earumque celeritas et impetus augetur, ita ut minime arteriae, quamvis tonus earum solito sit maior, sanguinem tamen celeritate et impetu praeter naturali irrumpentem, retinere non valeant. In haemorrhoea autem est tonus vasorum non modo non auctus, sed multo adhuc naturali minor, unde vasa etiam ne naturali quidem impetui obsistere possunt.

IV. Origō petechiarum in singulis corporis partibus.

Saepe oriuntur in hac vel illa corporis parte petechiae fine omni molestia et periculo, eaeque evanescunt, nullis medicamentis adhibitis. Videas e. c. post venae sectionem sub ligatura, post fracturam tibiae in omni pede, et post febrem intermittentem in femore ortas. Verum quomodocunque fieri potuisse, proxima petechiarum causa in dissolutione vel adeo putredine sanguinis posita, oeconomiam corporis, in hoc statu, qui tantopere contra naturam est, omnesque eius functiones inturbatas manere potuisse? Quo modo fieri potuisse, hanc causam in quibusdam modo partibus efficacem, adeo

sine periculo esse, ut ne medici quidem ope egeat? — Profecto, quamvis etiam veram putredinem in corpore vivo nunquam concedere possim, mitionem tamen eius praeter naturalem, multo terribiliora et periculosiora symptomata efficere oportere arbitror. Facile autem origo harum in singulis partibus inventarum petechiarum explicari potest, si causam eius in partibus solidis quaeramus. Quot enim externis et internis causis, singulae corporis partes debilitari non possunt, ita ut reliquum corpus non quidem multa patiatur? Hae partes infirmiores cuivis causae occasionali praecipue obnoxiae sunt, et sanguis ob parvum renixum vasorum maiore vi in ea penetrat, quo modo facile, ut mihi videtur, petechiae oriri possunt.

V. Origo petechiarum apud sordes primarum viarum eorumque secessus, dato emetico.

Cuivis medico pratico, licet etiam parummodo experientia edoctus sit, novi quid non erit, si in febris gastricis, vel si etiam febris deesset, in statu gastrico quem vocant, in aegris petechias diversi coloris apparere videat. Experientia probante, datus emeticum, quo dato, non raro omnes evanescere videt. Nitor *Stollio*, *Cullenio* et *Vogelio*. Quod si vero hic petechiae, ex putrida, e primis viis in sanguinem resorpta materia ortae essent, quomodo unicum emeticum totam sanguinis massam tam celeriter corrigere eiusque mitionem praeter naturalem tollere potuisset, non perspicio. Optime potius hoc probat, originem earum ab infirmitate

tate vasculorum cutis pendere, quae irritatione et concussione totius corporis per emeticum facta tollitur, tono vasorum naturali restituto. Nemo hoc mirabitur, qui arctam confinitatem tractus intestinalis cum superficie corporis novit, quae res quotidie novis exemplis probatur. Videamus e. c. perspiratione suppressa, subito saepe diarrhoeam, et invicem sumptis quibusdam cibis, e. c. quibusdam conchyliorum generibus, repente erisipeladem ortam. Scheide mantel exemplum narravit, ubi quemvis usum carnis porcillae exanthema urticatum sequutum est.

VI. Conditio sanguinis, qui in haemorrhoea effluebat.

Quamvis conditio sanguinis in hoc morbo apud quemvis aegrum satis accurate exquiri non potuerit, tamen ii casus, in quibus id liceret, sanguinem minime apud omnes aegrotos dissolutum fuisse monstrarunt. Sic e. c. aegrae eius sanguis, cuius historiam Aaskow in Actis Hafnienibus narravit, qui ex ore, naso et utero effluebat, dissolutus non erat, sed inox coagulum constituebat, quamquam haemorrhagia tanta fuerat, ut altero die moreretur, et Morgangius, de cuius fide et diligentia nemo dubitat, in febribus malignis petechialibus cruorem sanguinis plus solito cohaerentem et post mortem sanguinem in cavis cordis et arteriarum coagulatum invenit. Quod vero in morbi historia attentionem maxime meretur, hoc est: Cadavera aegrorum, haemorrhoea extinctorum, nihilo citius, quam in aliis morbis, putre-

tridinem subiisse, quod tamen, tanta dissolutione in vivis iam existente, evenire oportuisset. Haec et sanguis apud plures aegrorum non dissolutus, proximam haemorrhoeae causam non in fluidis corporis partibus ponendam esse, satis, ut reor, probant. At ea re negare tamen nolo, fluida in hoc morbo nullo modo mutari, persuasum potius mihi habeo, ea saepe permultum corripi. Neminem enim fugit, quantum actio vasorum ad motum et mistionem sanguinis faciat, si vero tonus vasorum ita debilitatur, ut naturalem mutationem longius efficere non valeat, eam ipsam ob rem, secundum varios debilitatis gradus, etiam fluida plus minusve mutari necesse est; ex quo hoc vitium solummodo solidarum partium, ideoque non idiopathicum, sed symptomaticum vocandum esse patet.

VII. Haemorrhoeae medendi ratio.

Qui proximam haemorrhoeae petechialis causam in dissolutione sanguinis invenire crederent, in medela eius praecipue id agebant, ut hanc coercerent, et naturalem fluidorum mistionem restituerent. Eam ob causam a ratione aliorum morborum similium medendorum ducti, contrahentia solummodo et tonica medicamenta adhibebant. Acida fossilia, vīnum et praecipue cinchona, quam Werlhoff primus in hoc morbo prospero successu dedit, sola erant huius morbi remedia. Raro his iungebatur usus aliorum fortiorum adstringentium, e. c. gummi kino, aluminis, olei terebinthinae, ad haemorrhagiam sistendam. Nostris temporibus similitudine inter

haemorrhoeam et scorbutum magis animadversa, huius medendi ratio prosperrimo successu ad illam translata est, id quod exemplum a Cl. *Rogerto* in Actis Hafn. narratum, docet. Dabantur acida, curabatur, ut aeger frueretur aëre puro, haberet diaetam generosam, et vesceretur vegetabilibus recentibus facileque concoquendis, dabatur decoctum malthi et infusa seminum plantarum cruciformium; apud quosdam adhibebantur etiam fomentationes et femicubia frigida, videntur mihi adeo balneae frigidae et terrefires illae, (quarum utilitatem *Solano de Luque et Lind* *) in scorbuto tantopere laudarunt) et in hoc morbo maximo usu esse adhibendae.

Quod ad vesicantia, ea in haemorrhoeae curatione locum habere non arbitror. Quamvis enim a *Riverio* in febre pestilenti magnis laudibus efferantur, scribit enim: Attamen ubi maxima est malignitas, totum corpus occupans, et saevissima symptomata urgent, unicum vesicatorium non sufficit, sed plura admovenda sunt. Soleo ea in magna morbi saevitia in quinque locis admoveare, cum felici successu. Et quamvis ea *Pringle* **) in ultimo stadio febris carcerariae, *Monro* vero et *Ettmüller* ***) in febre petechiali vehementer commendent, tamen cum *Percivalo* ****) eiusdem sententiae sum, ulcera nempe a vesicatoriis excitata

*) *Lind A Treatise on the Scurvy. Lond. 1772.*

**) *Pringle Dis. of the Army.*

***) *Ettmüller Oper. p. 356.*

****) *Percival Essays T. I.*

vel haemorrhagiam redintegratura, vel inflammationem in gangraenam mortiferam transgredientem procreatura esse.

Maxima pars medicaminum commemoratorum est ex ordine tonicorum, quae vim elasticam vel inclinationem fibrarum muscularium in corpore fano se contrahendi, nec non robur et vigorem totius corporis augent. Certissimum quidem est, omnia huius ordinis medicamina e regno vegetabili, nec non multa e fossilibus antiseptica esse, ac putredinem corporum animalium prohibere et corriger. At habeo hoc pro effectu secundario vis tonicae in iis, eosque saepe, qui ex theoria, quam sequebantur, antiseptice agere sibi videbantur, proximam haemorrhoeæ causam, infirmitatem nempe partium solidiorum, feliciter impugnasse, morbumque, quamvis falso proximam causam in fluidis quaererent, radicaliter medicatos esse, persuasus sum.

Ceterum ratio huic morbo medendi nihil fere mutatur, sit proxima causa vel in dissolutione partium fluidarum, vel in vitio solidarum posita, cum plurima roborantia etiam antiseptica sint.

Si in haemorrhœa periculum magnum adest, haemorrhagiaeque frequentes, tunc etiam tonica validiora adhibenda sunt, inter quae cinchona primis adnumerari meretur. Periculo vero comminuto, diaetam generosam forsan e vegetabilibus, et exercitationem levem ad aegri valetudinem quam primum redintegrandam, suum collatarum esse, verosimile est. Immo forsan hoc in morbo curan-

do, ut in scorbuto et multis aliis; qui pauperes infestant, ars coquinaria longe medicamentariae praefstat.

A P P E N D I X.

HISTORIA I.

Iacobus Galloway, annum aetatis 31. agens. Die Ianuarii primo 1788 conspiciebantur in variis corporis partibus, praesertim in pectore, maculae parvae, quam plurimae, quarum nonnullae unam, aliae duas, pollicis lineas magnitudine aequabant. Nonnullae floride rubebant, aliae lividae erant, quae-dam nigrae, nullae vero supra cutis superficiem elevabantur, quae ubique laevis erat. Diversis in locis apparebant vibices, pollicem fere, vel sesquipollicem latae, caeruleae. Utraeque per aliquot dies conspicuae dein evanescere, rursusque in iisdem aliisve locis redire solebant. Nullam vel ex petechiis, vel ex vibicibus, molestiam percipiebat aeger, nec, nisi videndo, eas adesse sentiebat.

Aliquando sanguis sponte ex oculis, auribus, naso, ore et urethra fluebat. Si vulnusculum, quantumvis exiguum, cuiquam corporis parti infligetur, sanguis quantitate vix credibili, et aegre coercendus, erumpebat.

Aeger tussim quoque molestissimam conqurebatur, mucumque viscidum, aliquando sanguine tinctum, expuebat.

Arteriae centies fere in minuto primo mabant; pulsus vero debiles et abnormes erant. Alvis naturalis erat; sitis urgebat; adpetitus cibi imminutus erat; vultus pallebat et languebat.

Tres fere elapsae erant septimanae, ex quo symptomata iam enumerata in conspectum prodierant. Fatebatur tamen aegrotus, se iam olim bis simili modo affectum fuisse.

Acidum vitriolicum et corticem Peruvianum non sine fructu iam usurpare cooperat. Quum etiam antea adeo debilis esset, ut foras prodire nequiret, tunc urbem, quamvis non sine difficultate, mendicus perambulabat.

Iulapii, ex spir. vitriol. ten. ʒijj. misturae mucilaginosae ʒvj. confecti, semiuncia ter in die ei propinata est. Sub huius medicamenti usu factum est, ut haemorrhagiae numquam postea occurrerent, praeterquam quod semel sanguis ex gingivis fluxit, in quibus, cum inspiciebantur, nullus tumor, nulla spongiosa laxitas apparuit. Petechiae et vibices, sensim rariores factae, tandem prorsus evanuerunt, nec aeger post diem Martis 8. valetudinarium frequentavit.

HISTORIA II.

Susanna Pope, ann. aet. 15. Parentibus olim struma affectis nata; in vico Titchfield, in comitatu Hamptonensi, habitans.

Die Sept. 18. 1788 conspiciebantur in tota cutis superficie maculae plurimae, parvae, in furis et femoribus maxime confertae. Harum pleraque

haudquaquam supra cutem elevabantur, multae vero duriusculae erant.

Tumor fabam magnitudine referens oris angulum occupabat; similis intumescentia collo insidebat. Ambo dolebant et pruriebant; maculae vero dolore carebant. Harum color varius erat, scilicet aliae rubebant, nonnullae lividae erant, nec paucae nigrae. Sparsum observabantur vibices caeruleae, latiae, quarum una, in collo sita, aliquantum dolebat.

Sanguis ex ore fluebat. Gingivarum pars firma erat; sed in dextro maxillae superioris latere pars alia livida erat et spongiosa. Gena dextra tumida erat. Lata ecchymosis in lingua conspiciebatur. Carpus dexter dolore cruciabatur.

Pulsus arteriarum celeres et debiles erant. Vultus pallebat. Appetentia cibi naturalis erat. Calor non augebatur, nec fitis urgebat.

Aegra, pauper, neque tamen misera, habitu corporis tenello praedita, prospera, ut plurimum, valetudine usa erat. Multum, in messis tempore, sub sole ardente laboraverat. Habitabat in domo parva, non tamen male sita.

Ad finem mensis postremae post febrem continuam infirmitatem maximam diu passa est. Hanc propemodum fugaverat usu vini Lusitanici et diaetae validae, laetioris. Vino per dies aliquot omisso, die Sept. 13. aliquantum sanguinis e gingivis profluxit. Die 15., perfstante haemorrhagia, maculae nonnullae, pulicum morsas mentientes, in brachiis apparuerunt, quae deinde per totum corpus serpserunt. Vespare paucae sanguinis guttae e vagina stillavere.

Menses nondum fluxerant. Vibices post diem alterum conspectae sunt.

Iussum est, ut aegra ad vini usum rediret; diaetam lautam, carnis scilicet recentis et vegetabilium, usurparet; aquam, acido vitriolico mixtam, faepius hauriret, et eodem acido infuso salviae hortensis instillato, pro gargarismate uteretur; vultum, collum et extremas corporis partes, aceto frigido crebro lavaret; corpus in aere puro, rustico, faepius excereret. Horum remediiorum ope, maculae colore magis vivo praeditae videbantur; sed fluxus sanguinis adhuc perstabat.

Die Sept. 19. haemorrhagia oris plus quam ante urgebat, pulsus in minuto primo 130 et debiles. Iussum est, ut biberet vini rubri libram quotidie; uteretur gargarismate ex alumine, gummi kino, tinctura myrrae, et aceto confecto; fumeret ter quaterve de die cochlearia tria medicamenti sequentis:

R Decoc. Cort. Peruv. 3vij.

Tris Cort. Peruv. rub. 3ij.

Rae Cort. Peruv. 3j.

Elix. **O**li acid. 3ij.

M.

Die 20. Aegra multum pridie sanguinis iactura debilitata fuerat; syncope enim bis inducta erat, cibi appetentia multum prostrata; et obstiterat haemorrhagia, ne somno reficeretur misera. Nullae petechiae novae a 18. mensis die apparuerant. Ex iis, quae antea conspicuae fuerant, aliae tunc oculos fugiebant, aliae coloris multo minus fusci erant, ma-

gisque sub cutem extendebantur. Pauxillum sanguinis pridie e vagina stillaverat.

Haemorrhagia adhuc, minus vero copiosa, persistabat. Gingivarum apices sparsim lividae erant, et pressae sanguinem fundebant. Aliquando sanguis plurimus a parte una, alterave erumpebat. Arteriae i20ies in minuto micabant.

Praeceptum est, ut aegra alternis horis elixir vitrioli guttas decem ex cyatho vini rubri sumeret: applicaret gingivis, qua sanguinem fundebant, linteum oleo terebinthinae madidum: si haemorrhagia ex parte quavis copiosior fieret, ei loco penicillum eidem immersum imponeret: caperet saepius aliquantum aquae acido muriatico acidulatae, quam usque dum incalesceret, in ore retineret; curaret, ut aër, inter spirandum, per os transiret.

Die 21. oleum nonnihil ad haemorrhagiam coercendam conferre visum est, praesertim in parte oris finistra, atque ideo ad vesperam usque applicatum fuit. Tum sanguis maiori impetu erupit. Pulsus 130, aliquantum validiores, siebant in minuto primo. Haemorrhagia ex utero nulla.

Linteoli, solutione aluminis satura udi, utrique gingivarum superficie admoti sunt.

Die 22. pulsus arteriarum debiles et parvi erant. Haemorrhagia oris minus urgebat. Materiam sedimento coffeeae similem ter quaterve evomuti aegra. Vespere faeces nigrescentes alvo secesserunt. Aderat somnolentia, ex qua non facile excitabatur. Oleum terebinthinae plus, quam alumem, ad sanguinem coercendum valere visum est.

Die 23. os parum sanguinis fundebat. Vomitus perstabant. Alvus saepe sanguinem in grumos coactum deponebat.

Die 24. vespere aegra decessit. Tum maculae pleraeque non amplius se conspectui offerebant; nullae, aut lividae, aut nigrae, observari poterant.

Cadaver per aliquot dies insepultum manxit. Nulla tamen putredinis praeter solitum acceleratio observari poterat, nec foetor, quam pro temporis ratione, maior erat.

HISTORIA III.

Alexander Dingwall, aet. 14. Die Febr. 3. 1789 in Collegium casuale Cl. *Duncan* receptus est. Tunc totam corporis superficiem occupabant petechiae purpureae, haudquam supra cutem elevatae. Fæces alvinae et urina sanguine inquinabatur. Nonnumquam mucus quem exspuebat, sanguine tingebatur. Pulsus in minuto 72. Alvus soluta, appetentia cibi satis valida erat.

Haec symptomata iam per duos annos persistabant, petechiae vero nonnumquam per dies aliquot inconspicuae fiebant, rursusque sine causa manifesta redire solebant; quarum tamen redditum nonnumquam comitabantur fitis, cephalalgia, calor. Si forte aeger quamlibet corporis partem vulnerabat, sanguis maxima copia, aegre coercendus, erumpebat. Nec raro haemorrhagiae sponte fiebant. Vix duo elapsi erant menses, ex quo plures sanguinis librae e naso profluxerant. Postea symptomata ali-

quanto minus gravia fuerant, nuper vero solita violentia redierunt.

Cortice Peruviano cum multis aliis medicamentis iam frustra usus fuerat, saltem sine constanti levamine. Iussum fuit, ut aeger ter de die caperet unciae semifissim sequentis misturæ:

Rox. 10. tunc **Q**uili ten. 3ij.

Tea aromat.

Viae f. aa. 3ij.

M.

Die Febr. 17. nunciatum est, aegrum paucos ante dies levem haemorrhagiam e nare passum fuisse, mucumque sanguine mixtum exscreavisse. Petechiae tunc temporis aderant quam plurimæ, praesertim in pectore. Omissa mixtura, aegrotus pulveris gummi kino, aluminis, ana scrupulum ter die sumpsit.

Nausea et vomitus primæ dosis administrationem secutae sunt; postea vero aeger pulverem sine incommodo assumpsit. Nulla exinde haemorrhagia ad diem mensis usque 14. apparuit. Tum petechiarum numerus aliquantum imminutus erat. Maculae quaedam parvulae petechias referentes, internam labii superioris superficiem occupabant; gingivæ autem nec tumidae nec spongiosae erant. Urina naturaliter se habebat; alvus item; appetitus bonus erat; pulsus arteriarum 80.

Pulvis gummi kino cum alumine, ut antea, praescriptus est. Die 21. aeger aliquando levem naufragi ex medicamento passus erat. Petechiae in eo statu, quem nuper descripsimus, perstabant, et vi-

bices aliquot latae in variis corporis partibus appa-
reabant. Haemorrhagiae aberant. Pulsus, alvus,
et mucus exscreatus secundum naturam erant.

Medicamentis ut antea usurpati, die Martis 7.
symptomata omnia plurimum levabantur, aeger-
que ab haemorrhagiis immunis erat, pulveresque
ut antea sumpsit.

Die 21. petechiae minori numero observaban-
tur, quamquam die 19. multum sanguinis e gingi-
vis profluxerat. Remedia igitur ut antea praescri-
pta sunt.

HISTORIA IV.

Femina intra quinquagesimum et sexagesimum
annum, statura longa et tenui, per aliquot annos
ad diaetam tenuem assueta, attamen ceterum sana.

Quarta die Oct. anni 1789 in omnibus artibus
corporis debilitatem sentiebat, male se habebat, et
de levibus doloribus artuum cum adpetitus amissio-
ne laesaque digestione querebatur.

Die 11. Octob. sanguinem mane expuebat ex
cavo oris effluentem, quod moderato gradu per
aliquot dies perdurabat. Maxime mane, somno
experrecta, totum cayum oris cruore nigro quasi pi-
ceo obductum inveniebat. Sanguis vero per gingi-
vas, latera interna oris, palatum et linguam persu-
dabat. D. 15. Oct. petechiae maxime in abdomine,
femoribus et tibiis apparuerunt; nonnullae tantum in
manibus conspiciebantur, sed quod attentionem ma-
ximam meretur, est, etiam interna latera genarum,
immo palatum multis petechiis fuisse obducta, lin-

gua his tamen libera. In facie plane deficiebat, post levem vero percussionem in fronte statim magna fugillatio orta est. Nonnullae petechiarum erant parvae ut lenticulae, etiam minores, aliae vero magnitudinem thaleri aemulabantur, immo maiores erant. Minores colorem rubrum vel atro-rubrum habebant, maiores lividum, flavum et viridem. Nonnullae evanuerunt aliis adhuc erumpentibus. Haemorrhagiae perduranti epistaxis adiungebatur. Debilitas erat permagna, at negotia tamen sua adhuc peragebat.

Valde de doloribus artuum in genubus et pedibus conquesta est, de doloribus capitis in regione frontali, nec non de doloribus transitoriis rheumaticis similibus in hypochondrio sinistro in regione lentali. Somnus et adpetitus erant minimi.

Ab initio morbi uncia corticis cum spiritu vitrioli potui admixto quotidie usa est, nec non cibis bene alentibus; carne, ovis et vino vescebatur.

Die 20. Oct. in lingua et labiis nigrae splendidaeque maculae apparebant. Praeter iam commemorata remedia adhuc interne alumen et terra catechu cum gargarismatibus adstringentibus porrigebantur.

Die 22. circiter quatuor unciae sanguinis ex ore effluebant. Tunc febricula usque ad hoc tempus plane deficiens, his se iungebat.

Die 25. Febris permagna, continua remittens, pulsu fortis ac celeri. Haemorrhagia plane fistebatur. — Caephalalgia cum doloribus in hypochondrio sinistro.

Die 26. Febris continua maxima cum debilitate. Haemorrhagia nulla. Nocte deliria.

Sic

Sic manebat eius status usque ad 30. Oct. Febris perdurabat; nocte deliria suavia, anxietas, ficitas cutis, prostratio virium, convulsiones leves, respiratio stertorosa. — Per aliquod tempus ante horam fatalem respiratio iterum libera reddita est. In statu somnolento sine omni recordatione procubuit. Functiones animales magis magisque decrescebant, excretiones alvi et urinae involuntariae, tandem vibribus omnibus exhaustis diem obiit.

Magnus post mortem gradus putredinis, rigiditate artuum deficiente se ostendebat.

HISTORIA V.

Harnisch. Puer trium annorum, antea sanus et mediocriter nutritus, at flaccido tamen corporis habitu, per tres dies debilitatem et ad vesperam leve frigus questus est, sic ut eum mater lecto involvere coacta esset. Mox etiam appetitus deficiebat, et habitus languidus fatis ostendebat puerum aegrotare. Secunda die postquam de his symptomatibus conquestus erat, mater in lecto totam eius faciem sanguine nigro ex ore effluxo illitam inveniebat. Tertia die mater totum corpus pueri maculis nigris obductum reperiebat, quo valde perterrita ad clinicum regium auxilium deplorans veniebat.

Facies pueri per pallida et musculi perlacciiderant, attamen non emaciatus, et abdomen eti valde tumidum tamen molle erat. Notatu adhuc dignum est, omnes eius dentes carie iam destructos fuisse. Totum corpus, piliosa parte capitis, facie et manibus exceptis, petechiis obtectum erat. Prae-

C



cipue dextro in latere crebres erant a fossa subaxila-
ri usque ad maleolum. Magnitudine erant perdi-
versae; aut punctulis acuum aut pulicu[m] morsibus,
aut maioribus lenticulis similes. Etiam colore diver-
sae erant; nam nonnullae rubrae, aliae eaeque pluri-
mae lividae, et nonnullae maximarum in hypochondriis nigrae erant. Puer solummodo de doloribus
levibus abdominis cum debilitate totius corporis
querebatur. Adpetitus deerat, lingua erat pura,
sedem unam sanguine intermixtam quotidie habebat,
praeterlapsa nocte valde sudaverat, respiratio cete-
raeque functiones naturaliter se habebant. Pulsus
erat parvus paullulumque citatus.

Parentes pueri ultima in paupertate vivebant,
itaque puer vilissimo tantum cibo et maxime radice
solani tuberosi nutritus erat; habitabant in domo
parva, foidida parumque perlata.

Praescribebatur infusum corticis cum acidis ve-
getabilibus et diaeta nutritiente.

Die 30. Martis. Somnus valde inquietus fue-
rat multumque sudaverat, fitis fuerat permagna, ad
lucem sedem unam habuit, cui tamen ascarides non-
nullae intermixtae erant. Petechiae quovis die plures
apparere, aliae etiam colorem mutare, aliae evanesce-
re videbantur. Pulsus tam parvus et debilis erat, ut
in carpo sentiri non posset, coactus eum in regione
cordis inquirere, eum parvum debilem et irregula-
rem inveniebam. Continuebatur cum supra comme-
moratis remediis adiecto spiritu vitrioli. Ad vespe-
ram febris magna exacerbatione magis se ostende-
bat, pulsus paullulum elevatus centum et vigesies

uno minuto iterabatur, facies magna rubore tecta et puer hilaris erat. Urina colorem habebat naturalem.

Hic status per duodecim dies immutatus manebat, febre non diminuta et praescriptis medicamentis iteratis. Erat autem febris continua remittens. Haemorrhoea recidiva non fuit.

Decima tertia die parottis intumescebat cum magno dolore, cataplasmatibus statim emollientibus adhibitis dolores quidem minuebantur, ad supurationem tamen perduci non poterat. Decima quinta die plane evanuit, nulla tamen alia excretione orta. Multae petechiarum plane evanuere, aliae colore nigro in rubrum mutato adhuc remanebant, aliae maiores diminuebantur.

Ad finem morbi symptomata nonnulla verminosa se ostendebant, itaque anthelmintica remedii iam praescriptis admiscebantur, quibus magna copia ascariidum deducta est. Petechiae omnes evanuere, et roborantibus et amaris per aliquod tempus adhuc datis, puer radicaliter est sanatus.

EPI TOME HISTORIARUM EX ACTIS HAFNIENSIBUS.

I. P. H. RO G E R T

D E

MORBO MACULOSO HAEMORRHAGICO.

Puella xxii. annorum, habitu corporis teneriori, quae cephalalgis, epistaxi et ophthalmiis saepissime laboraverat, post refrigerationem altero iam die proflu-

vium sanguinis tenuioris ex cavo oris et naribus perpe-
sa est. Urina erat cruenta. Apparebant petechiae ni-
grentes, quae etiam faciem immo coniunctivam ocu-
lorum obsidebant. Habitabat aegra in praedio in litto-
re sinus limici sito, febribus intermittentibus frequenter
obnoxio. Ut ut erat, ex analogia morbi proxima cum
scorbuto, medela ad eius indicationes instituebatur. Cor-
tice, spiritu vitrioli, infuso rhaphani cum sinapi, lacti-
ciniis, carne recenti cum vegetabilibus usa est, quibus
omnia meliora reddebantur. Postea decocto malthi ex
bordeo cum suco cochleariae hausto optime est sanata.

URBANUS BRUN AASKOW
DE
EODEM MORBO.

In aegrota catameris nimis valde debilitata pete-
chiae ex rubro brunae, in pedibus lividae ac latae, scor-
butiarum instar apparebant, haemorrhagia uteri iter-
um orta. Usu corticis, aluminis et spiritus vitrioli haem-
orrhagia quidem imminuebatur, sed sequente die lar-
ga haemorrhagia narium accessit magna cum anxietate.
Potus erat frigidus, nuchae applicabatur linteum aqua
frigida humidum, acetum et aqua frigida sovebatur ab-
domen et layabantur manus et brachia, ex quibus haem-
orrhagia cessabat. Dabatur cortex cum spiritu vitrioli.
Foetorem cadaverosum singularem spirabat aegra, atta-
men sanguis e naribus et utero iterum profluens mox
coagulum constituebat. Sequebatur insultus apoplecti-
cus, deliria, haemorrhoea iterum recrudescebat, at san-
guis tamen erat non dissolutus. Conveltebatur aegra et
sequente die moriebatur.

Corrigendum: Pag. 4. lin. 3. pro five, sine.

W 18

PICA

D

12/1

ve respectu *salutares*, & tantum non semper plu-
sas simul locum habere unamve alteram insequi,
omnium habenda est ratio medico artifici, ne
aegritudines febriles vario respectu & *salutares* &
atas esse solere.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

HAEMORRHOEA PETECHIALI

QUAM

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE
GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

IN

ALMA FRIDERICIANA

PRO

GRADU DOCTORIS MEDICINAE
RITE OBTINENDO

DIE XVII. OCTOB. CCCCCCLXXXII.

PUBLICE DEFENDET

A U C T O R

IO. CAROL. ERDM. BERGNER
HALENSIS.

H A L A E

T Y P I S G R U N E R T I A N I S .

